CONCLVSIONES

EX VNIVERSA

PHILOSOPHIA MORALI,

QVAS

Defendendas proponit

IN CANOBIANO GYMNASIO

ANTONIVS GAMBIRASIVS.

BERGOMENSIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



MEDIOLANI,

Apud Federicum Agnellum Sculpt.
& Impreſſorem. 1676.
Superiorum permiſſu.

PARS PRIMA

PROEMIALIA.

CAPVT I.

De Dignitate, & Ordine Moralis Philoſophiæ ad alias ſcientias.

HOMO duplici virtu- 1
tum Hierarchia perficitur, ſupernaturali quidem, vt eſt eleuatus ad Dei amicitiam; naturali verò, vt eſt eiuſdem Diuinitatis ſeruus per eſſentiam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

2 Naturalium hunc virtutum populum non ignobilem ſibi contemplandum, vel dirigendum vindicant, atque inter ſe diuidunt ſcientiæ omnes, facultates, vel artes, quibus humanum ingenium exercetur; at verò ſupernaturalium cæleſtem chorum Sacra conſiderat Theologia. Hæc ſublimiori methodo ſuam virtutum ordinat Rempublicam; at verò Naturalium ſcientiæ iuxta numerum partium hominis, quas perficiunt, generaliter diuidi poſſunt.

3 Homo igitur, vt eſt *intellectiuus* ab vniuerſitate tota ſcientiarum, facultatum, & artium inſtruitur; vt autem eſt rationaliter *volitiuus*, & brutaliter *appetitiuus* inſtruitur à Philoſophia Morali. Hæc ſola agenda dirigit, & eligit; reliquæ ſcientiæ *ſcienda*, & *facienda* conſiderant, & ordinant. Sciendorum Regina eſt Metaphyſica;

Agen-

Agendorum Imperatrix Politica.

Totius Moralis finis eſt Homi- 4
nem abſolutè, & ſimpliciter bo-
num efficere, bonum inquam,
vt fælix ſit; reliquarum omnium
eſt erudire, vt ſciens, & artificio-
ſus ſit.

Sunt igitur Triumuiri in ſcien- 5
tiarum Orbe Sacra Theologia,
Metaphyſica, & Moralis. Meta-
phyſica eſt magis generalis; ſanc-
tior, & dignior Theologia; Mora-
lis vtilior; Sapienti omnes ſunt
ita neceſſariæ, vt ſine diſcrimine
ſeparari non poſſint. Aſſiſtunt er-
go noſtræ menti de moribus de-
cernenti, & ſcientiſſimè ſecundùm
Moralem agenti, Theologia, &
Metaphyſica, vt intelligat princi-
pia, & quidquid humanos actus
conſtituit, mutat, vitiat, vel per-
ficit ſecundum vtrumque lumen
naturale, & reuelatum.

CAPVT II.

Quid ſit Moralis Philoſophia.

6 PHiloſophia igitur Moralis, quæ à *morum* magiſterio nominatur eſt ſcientia propriè *humana*, quia circa *humanos actus* verſatur. Eſt autem actus humanus Voluntarium prȩconſultatum, quod ſic definitur; *Voluntarium eſt cuius principium eſt in ipſo agente, cognoſcente ſingula, in quibus actus*, hoc eſt ratio moralitatis.

7 Eſt practica, nō quomodocumq; ſed illius proprio, & peculiari modo. Habet tres partes iuxta numerum bonorum, quæ intendit, & ſecundum diuerſitatem *morum*, quos perficit; *Monaſtica* ſiquidem dirigit hominem, vt ſolitarium; *Æconomia*, vt partem, vel caput familiæ; *Politica*, vt Principem, vel ſub-

ſubditum in Ciuili, ſiuè Republica.

Triplicem hunc *finem*, & *bonum* 8
aſſequitur Moralis quatuor virtutum generibus, quibus geminæ partis, animæ ſuperioris, ſiuè rationalis, & totidem inferioris, ſiuè animalis Animæ perficiuntur. Intellectum ſiquidem *Prudentia* illuminat, Voluntatem *Iuſtitia* rectificat, Iraſcibilem *Fortitudine* roborat, Concupiſcibilem *Temperantia* coercet.

Quæ verò in ſingulis generibus 9
eſt ſpecies præcipua virtutis illa dicitur in illa ratione *Virtus cardinalis*.

Intellectum alijs ſcientijs iam 10
vltro conceſſum repetit, & perficit noſtra Moralis, non quomodocunque, ſed præcisè in ordine ad prudenter eligẽdum; Prudentia ſiquidem virtus amphybia eſt, pertinens ſcilicet ad duas potentias ſimul, *Intellectum*, & *Voluntatem*.

PARS II.

DE PRVDENTIA.

CAPVT I.

Quot dentur Prudentiæ.

1 Metaphyſicus ordinat *Scibilia*, Politicus *Agibilia*, abſolutè Sapiens ordinat Omnia: & quidem ſecundum ſpecies Agibilium ſunt diuerſæ Prudentiæ, mihi probabilius quatuor. Prima eſt generalis, & *tranſcendens*, ſine qua nullus eſſe poteſt actus virtutis moralis, ſecunda eſt Prudentia monaſtica; ſiuè particularis, & *cardinalis*; tertia economica; quarta Politica: harum omnium definitiones ſunt ſatis ſimiles, & definitio quidem Prudentiæ tranſcendentis

non eſt ſeparabilis à definitione actus moralis, quæ eſt.

Virtus moralis eſt *habitus naturalis, aquiſitus, & ſecundum rectam rationem electiuus circa quodcunque obiectum de ſe conferens ad fælicitatem.* 2

Cardinalis Prudentia eſt *habitus naturalis* acquiſitus, & ſecundum rectam rationem electiuus circa obiecta præcipua de ſe conferentia *ad monaſticam fælicitatem.* 3

Æconomica eſt *habitus naturalis* acquiſitus, & ſecundum rectam rationẽ electiuus circa obiecta de ſe conferentia *ad familiæ fælicitatem.* 4

Politica tandem eſt *habitus naturalis* acquiſitus, & ſecundum rectam rationem electiuus circa obiecta de ſe conferentia *ad ciuilem fælicitatem.* 5

In his definitionibus illæ particulæ *ſecundum rectam rationem electiuus* circa obiecta oſtendunt 6

duo propria munera *Prudentiæ illuminantis*, & *eligentis* ſecundum intellectum, & voluntatem.

7 Prudentia igitur generalis, & generica eſt *omnis recta ratio eligens*. Subhac tres ſpecies Prudentiæ eligunt immediatè, & ſingulariter circa tres fines, & ſunt *Cardinalis Monaſtica*, *Æconomica*, & *Politica*. Prudentia verò, quæ eligit quæcunque alia obiecta, ſemper tamen reſpiciendo Finem fælicitatis illa eſt *tranſcendens*. In definitione igitur Prudentiæ tranſcendentis in ly *ſecundum rationem* ſignatur Prudentia, in ly verò *circa quodcunque obiectum* ſignatur generalitas materiæ, & virtutum, quibus ſeruit.

8 Sicut Monaſticæ geminæ ſeruiunt Prudentiæ, Tranſcendens ſcilicet, & Cardinalis, ita facilè dabo in Æconomicis, & rationabilius in Politicis, imò & in ſingu-

lis

lis tribus Politicæ ſpeciebus aſſignandis, poſſe diſtingui cardinalem aliquam Prudentiam à communioribus.

CAPVT II.

De Fine Hominis, qui eſt fælicitas.

9 CVM ex Philoſopho ita ſe habeant prima principia in *ſpeculatiuis*, ſicut in *actiuis* vltimus finis, conſequenter vt eſt primæ ſcientiæ, hoc eſt Metaphyſicæ conſiderare principia, ita erit primæ moralis ſtatuere de vltimo fine, qui eſt triplex *fælicitas* iuxta triplicem, & iam aſſignatam hominis conſiderationem; ſed de Monaſtica, ad quam omnes actus humani ordinantur ſic.

10 Hæc fælicitas, neque eſt in ſola, & omni voluptate, vt voluerunt Epicurei, neque in ſola virtute,

vt Stoici, ſed in mixto iuxta humanam naturam, homo enim cum ſit animal rationale, & vult virtutes ſecundum rationem, & vult voluptates conuenientes vtrique parti, rationi ſcilicet, & ſenſibus.

11 Virtus igitur, ſola exiſtens in noſtra poteſtate, eſt quidem pars præcipua fælicitatis huius vitæ; pro anima verò immortali, quam procul dubio, & agnouit, & admiſit Philoſophus, eadem Virtus eſt tota radix futuræ fælicitatis.

12 Fælicitas formalis conſiſtit *in viuo actu*, cuius ſocia ſit *voluptas*, qua quieſcimus in bono. Quidquid tales actus vel cauſat, vel terminat (intrinſecum ſit, vel extrinſecum, ſit virtutis effectus, vel fortunæ) eſt ſubſtantia, vel accidens, ſed *mortuum* ipſius fælicitatis. Dignitas, Fama, Gloria, & Amicitia pertinent ad fælicitatem ciuilem.

13 Amor porrò *Amicitiæ*, qui debet

bet eſſe mutuus, alioquin erit *bene-uolentiæ*, amat amicos vt ſe; at amor *cõcupiſcientiæ* amat quidquid concupiſcit, non vt ſe, ſed vt ſuum.

Nulla in hac vita fælicitas, ſed ſolum relatè ad miſeros eſt mitior infælicitas; & Heroes quidem ſi darentur, ex additamento ſcientiæ magis paterentur, & dolerent cæteris paribus. 14

Heroes autem dicimus cum Philoſopho vel Scientia, vel Prudentia, vel vtraque præſtantiſſimos, & ſemper Virtute. Hi Heroes ſi darentur paſſiones quidem haberent, ſed ab illis non paterentur. Solus Adam in ſtatu innocentiæ heroizauit. Immaculata Virgo Maria, & concepta, & nata, & vixit, & mortua eſt Heros ſapientiſſima, & Scientia, & Prudentia, & omni exercitio virtutum facta nobis, poſt Chriſtum, magiſtra omnis bonitatis, & veritatis. 15

CAPVT III.

De Politico Regimine, & eius ſpeciebus.

16 VT *Monaſtica* diuiditur ſecundum virtutes, & *Æconomia* ſecundum diuerſos familiarum modos, de quibus Philoſophus ſatis parcè; ita *Politica* ſecundum tres notiſſimas ſpecies regiminis, quæ ſunt *Monarchia*, ſcilicet gubernatio vnius, *Ariſtocratia* ſcilicet Optimatum, & paucorum, & *Democratia* quæ eſt populi, ſeù plurium.

17 Probabilius ſecundum praxim Optimates ſunt nobiles non quidem ordine equeſtri, & quaſi artificiali, ſed ſecundum naturam.

18 In quolibet gubernandi genere diſcedere ab intento fine ciuilis fælicitatis, eſt plus minùs infirmare ſtatum Reip., vel corrumpere; ita quidem vt ex corrupta Monarchia

fiat

fiat *Tyrannis*, ex Ariſtocratia *Oligarchia*,& *Anarchia* exDemocratia.

Non ſolum Monarchía eſt de ſe 19
perfectiſſima in genere, ſed in ſpecie etiam quo eſt magis abſoluta, & monarchica, eò eſt perfectior gubernatio. Eſt ergo longè perfectior *hæreditaria*, quàm *electiua* ex proprijs perfectionibus.

Leges quæ ſunt quaſi mortui 20
condomini, non officiunt perfectæ Monarchiæ, vt officit omnis alia *viua poteſtas* habens ius limitandi auctoritatem Monarcæ. *Parlamenta* igitur, & quidquid aliud, ſi ſolum dirigant, & approbent, vel ſint ad leges generaliſſimas non minuùnt; ſi ſecùs, quantum ipſa habent auctoritatis, tantũ detrahunt Monarchiæ, & mixtam cõſtituunt gubernationem; mixtarum autem procul dubiò ſunt ſpecies quamplurimæ. Heroibus, ſi darentur, ſuperfluæ eſſent leges ſcriptæ, imò

iniu-

iniurioſæ ad dirigendum.

21 Eadem Monarchia quadrifariam diuiditur quaſi ratione materiæ, & obiecti; alia ſiquidem, & eſt præcipua, eſt ad *Politicam*, ſiuè Ciuilem; alia ad *Militarem*, ſiuè bellum; alia ad *Iudicia*; alia ad *Religionem*. In vno, Summo, & Romano Pontifice ſunt omnes ſimul.

22 Nos, & ex diuerſa ratione munerum, & ad ordinem, & perſpicuitatem, diuidimus primam Politicam, italicè *Raggione di Stato* à duabus ſubordinatis, & minoribus Politicis, *Militari* ſcilicet, & *Ciuili*.

23 Sit Nationum Genius, vel ſola Natura, vel probabiliùs inuoluat mores, puto aptiores ad Monarchiam Nationes, & maximè *timidas*, & maximè *feroces*, & maximè *barbaras*. Maximè verò *ciuiles* relinquimus cum innumeris mixtis, vt accommodatas etiam Ariſtocratiæ, & Democratiæ.

CAPVT IV.

Partes Prudentiæ Integrales, et Potentiales.

MOnaſtica *Cardinalis*, & mul- 24
tò magis *Politica*, quæ eſt operoſiſſima, & difficillima Prudentia, cum ſint in duabus potentijs, in intellectu ſcilicet, & voluntate, conſtant octo partibus, quarum quinque ad primam, tres ad poſteriorem potentiam pertinent. Inſtruunt ergo Intellectum primò *Memoria* præteritorum; ſecundò *Intellectus*, qui eſt vis cognoſcitiua ſingulorum præſentium in ordine ad agendum; hic igitur prudens Intellectus, nec eſt ipſa potentia intellectiua, nec habitus primorum principiorum; Tertiò *Docilitas*, cum ſit prudentia non ſolum modeſtè docere, ſed humili-

ter

ter diſcere; Quartò *Solertia*, ſiuè quædam prompta coniecturatio ex iam tribus aſſignatis in ordine ad prudentem electionem. Quintò *Ratio*, hoc eſt ratiocinatio maximè diſcurſiua, cum ſcilicet in agibilibus præcipuis ſit attendendum ad quamplurima, antequam eligamus; quod ergo in *Speculatiuis* præſtant *Perſpicacia*, & *Intellectus*, illud operantur in *actiuis Solertia*, & *Ratio*.

25 Partes Prudentiæ, vt electiuæ ſunt *Prouidentia* circa futura contingentia; *Circumſpectio*, quæ eſt circa circumſtantias rerum; *Cautio* tandem, qua libramus mala examinata cum bonis.

26 Præter has, tres aliæ potentiales, & minores aſſignantur à Philoſopho, nempè *Eubolia*, ſiuè bona Conſiliatrix; *Sinaſis*, ſiuè ſapiens Iudicatiua; *Gnome*, ſiuè exceptiua, vel *Epicia*, de qua infra.

PARS

PARS III.

DE IVSTITIA.

CAPVT I.

De Iure.

SICVT *Prudentiâ* ad 1
omnia diriguntur,
ita *Iuſtitiâ* adinui-
cem iuſtantur homi-
nes, vt varias con-
ſtituant Societates; Sociabilitas
porrò, & exigentia *Iuſtationis* tàm
ſingulorum adinuicem, quàm
communitatum eſt ſecundum Na-
turam, in qua Ciuilis Societas eſt
*ordo Imperantium, & parentium
ad commnnem fælicitatem.*

Hæc vniuerſalis indigentia Ci- 2
uilis Societatis fundat, ſiuè eſt *Ius
latiſſimè ſumptum*, quæ autem vir-

tus iuſtat Iuribus ipſis actiones humanas, illa eſt generaliſsima *Iuſtitia*.

3 Et Iuſtitia quidem *actiua* eſt in eo, qui auctoritatiuè iuſtat, præcipuè, ſi idem Iuſtator ſit ſimul *Regula* Iuſtitiæ, vt eſt Deus; *Paſſiua* Iuſtitia eſt in omnibus, qui debent obediendo iuſtari.

4 *Ius* autem illud multiplex ad iſtas Iuſtitias poteſt *Ius* actiuum, & paſſiuum dici, ſi ſit ad bonum aliquod illud habentis, ad malum enim datur non quidem Ius, ſed meritum malum, vt in reo demerentevitam,& merente patibulum.

5 Iam ex his Iuribus exigentibus Iuſtantem Iuſtitiam, quod eſt à Deo ſocialiter communicante cum hominibus, illud eſt *Ius Diuinum*, quidquid ſit, an quæcunq; Sociabilitas propria ſit ſemper in Natura eleuata ad amicitiam rigoroſam cum Deo.

Quod

Quod ab eodem Deo inſitum eſt noſtræ Naturæ, *Ius naturale* dicitur; quod *inſtinctu* potiùs, quàm *conſenſu* hominum exigitur, illud *ius Gentium* appellatur; quod particulari hominum arbitrio his Iuribus ſuperimponitur eſt ius *poſitiuum*, Eccleſiaſticum, vel Laicale, rigoroſum, vel mitius, vt eſt Æconomicum, vel Paternum. Plura *poſitiua* manifeſtius intimant, clarius explicant, & diſtinguunt ipſum Ius naturale. 6

Ex his Iuribus aliqua ſunt magis ſtricta, quæ ita fauent habenti Ius, vt alios grauent, ad quos idem Ius dirigitur, vt ſunt Iura *Proprietatis*, & *Iuriſdictionis*; Qui enim aliquid poſſidet Iure proprietatis, eo ipſo obligat alios ad tale Ius non lædendum; Eadem ratione Ius Iuriſdictionis obligat ſubditos ad obediendum ſuperiori, in quo tale Ius reſidet. 7

8 Di-

8 Diſtinguuntur inter ſe hæc duo Iura, eo quòd *Ius proprietatis* primariò ordinetur ad Monaſticam fælicitatem ipſius habentis, cum *Ius Iuriſdictionis* ordinetur ad publicam Reipublicæ fælicitatem.

9 Cum de Iuſtitiá, & Iure agant; & Theologi, & vtriuſque Iuriſprudentes, & Philoſophi Morales; ne in hac Iurium ſcientia contra ius peccetur, ſic illorũ Iura diuidimus.

10 *Philoſophus Moralis*, Iuris naturalis, & Gentium, rationem, & principia, æquitatem, vtilitatem, ſpecies, & limitationes profundiùs examinat, & ad normam Scholaſticam definit, & diuidit. *Iuriſprudentes*, Canonici ſint, vel Ciuiles, ius poſitiuum, quantum illud eſt conſiderant, & conferunt. *Theologi* eſt, vltra propria Iura, ſi quæ ſint, alia omnia recognoſcere limitare, vel ampliare ſecundum lumen Diuini, & reuelati Iuris.

CA-

CAPVT II.

De Iuſtitia Commutatiua, Diſtributiua, & Vindicatiua.

HAbitus ille, per quem *conſtanter*, & *permanenter volumus ius ſuum cuique tribuere* eſt *Virtus Iuſtitiæ*; & ſi quidem reſpiciat ius rigoroſè obligans, erit Iuſtitia magis propria, particularis, & Cardinalis. 11

Eſt illius proprium verſari circa *actiones*, non verò circa *paſſiones*, reſpicere *medium rei*, & magis propriè *recedere à malo*, & *facere bonum*. Eſt illius ſingularis, & quaſi diuina laudabilitas, vt plurimum nec actu laudari, nec ſatis poſſe laudari. 12

Huius ſunt duæ ſpecies, *Commutatiua* ſcilicet, & *Diſtributiua*. 13

Com-

Commutatiua eſt quaſi Monaſtica inter homines, vt ſunt perſonæ priuatæ; Diſtributiua eſt ſuperiorum, vt tales ſunt, ad ſubditos.

14 Commutatiua fundatur in *iure proprietatis*, & ſeruat *proportionem Arithmeticam*; violata obligat ad reſtitutionẽ, & tribuit patienti ius compenſationis: Diſtributiua autẽ fundatur in *iure Iuriſdictionis*, ſeruat *proportionẽ Geometricã*, & cum non obliget ad reſtitutionem, neq; conſequenter tribuit vllũ Ius compenſationis relatè ad ſubditos.

15 *Iuſtitia Vindicatiua*, vt æquat pænam culpæ eſt Commutatiua; ſi debeant attendi hominum ſtatus, & dignitates aſſurget ad faſtigium Diſtributiuæ; Vt autem *immutat perſonam, quæ paſſa eſt iniuriam* pertinet ad ipſam Virtutem Vindicatiuam, quæ eſt de iure naturæ, licet vt plurimum nomen Vindictæ accipiatur in deterius.

CA-

CAPVT III.

De Iuſtitia Politica.

PRimæ Politicæ, quæ eſt ratio 16
Imperij, eſt Rempub. non ſolùm conſtituere, vt *ſit* in ſua ſpecie iuxta finem, ſed eandem *conſeruare*, *dilatare*, *reſtringere*, & ſi opus ſit *mutare*. Conſeruatio maximè pendet à Legibus, ex quibus aliquæ conſtitutiuæ, eſſentiales aliæ, reliquæ plùs minùs, quaſi accidentales.

Eſſentiales ſunt potius ipſa pri- 17
ma ratio regiminis, quàm leges. v. g. quòd in Ariſtocratia ſoli nobiles gubernent. Sunt leges Cardinales, & eſſentialibus proximæ, *Lex Salica* in Gallia, breuiores præfecturæ præcipuè primariæ in pluribus *Ariſtocratijs* reliquæ ſunt complementariæ.

18 Iuſtitia ergo legislatrix eſt ipſa Politica, aſſiſtente Iuriſprudentia; illa leges adaptat fini, hæc eaſdem iuſtat æquitati. Ratio igitur Imperij Remp. gubernat relatè ad alios, & proſpicit ne ab illis patiatur. Huic aſſiſtunt Militaris, & Ciuilis Prudentia, vt in Anima animali ſunt pars Iraſcibilis, & Concupiſcibilis, hæc vt bona prouideat, illa vt mala repellat. Ciuilis Politicæ adminiſtra eſt *Iuriſprudentia*, Militaris autem Politicæ eſt brachium *Ars Militaris*.

19 Cum Legislatrice pertinet ad Politicam etiam *Epicia*, quæ eſt ſuprema legum interpres non iuxta notum finem, & verba, ſed ad ſublimiorem, & ideò obſcuriorem mentem Legislatoris.

CAPVT IV.

Corollaria practica.

EOdem tempore, & eiuſdem rei 20
non poteſt penes duos eſſe dominium plenum. Eſt ſeparabile dominium ab vſu, etiam in illis rebus, quæ vnico vſu conſumuntur.

Cum Iuſtitia rigoroſa ſit ad 21
alios, quantum, & in quibus detrahitur de *Aleitate* perſonæ, vel Monaſticæ, vel Ciuilis, tantundem minuitur ratio Iuſtitiæ, v. g. mariti ad vxorem, patris ad filium, Domini ad ſeruum, Reipublicæ ad ſubditum.

Materia regulariter grauis in 22
furto eſt diurna, & adæquata ſuſtentatio Ciuis mediocris, etiamſi paſſus furtum ſit Cræſus, vel Rex, diuerſa proindè ſecundum pecuniæ æſtimationem. Hic ergo in

Mediolanenſi Ditione ſine dubio ſunt grauis materia, & obligans ad reſtitutionem tres libræ imperiales, & mihi probabilius duæ ſolæ.

23 Nec licet duellum, nec vindicta priuata auctoritate ſumpta, nec licet præuenire occidendo eum, à quo timemus, & qui iactaſſet velle nos occidere; non dico actu necem intentantem.

CAPVT V.

De Partibus Potentialibus Iuſtitiæ.

24 VT Potentiæ quædam reſultant ab Anima, ita ex Cardinali, & magis præcipua Iuſtitia reſultant hæ dictæ *Potentiales*, vt contingit etiam in alijs virtutibus. Illarum minoritas non eſt, neque ex leuitate materiæ, neque ex mi-

nori

nori dignitate Termini, ſed ex rariore occaſione, minori difficultate, & conſequenter minùs vehementi inclinatione ad vitia oppoſita; Euidentiſſimè ſiquidem grauiùs peccatur contra *Religionem* in Deum, contra *Pietatem* in parentes, contra *Obſeruantiam* in Magiſtratus, ſeniores, & digniores, (quæ ſunt tres primæ *Iuſtitiæ Potentiales*) quàm in *furto* contra *Commutatiuam* cæteris paribus.

Cum autem euidentiſſimè exerceri poſſint diuerſiſſimæ *Irreligiones* contra Deum, nec contra omnes ſanguine coniunctos ſit eadem ratio *Pietatis*, vt nec erga Magiſtratus, Seniores, & digniores *eadem Obſeruantia*, patet innumera ferè virtutum multiplicatio quoad ſpecies. 25

Veracitas, & *Veritas* ſunt Iuſtationes accidentium ad Perſonam; *Veracitas* ſiquidem iuſtat exter- 26

nam locutionem cum interno conceptu mentis, vt manifeſtemus ſermone, quod mente ſentimus; At *Veritas* magis latè patens vult adæquatam conformitatem exterioris apparentiæ cum intrinſeca ſubſtantia; quarè, nec miles ſub toga, nec mulier ſub veſte virili ſeruant *Veritatem*.

27 *Liberalitas* virtus magis laudata, quàm cognita, verſatur circa bonorum largitionem media inter *Auaritiam*, & *Prodigalitatem*. *Affabilitas* eſt quædam *Liberalitas* in domeſticis, ſiuè etiam negotioſis conſuetudinibus, media inter *Ruſticitatem*, & *Scurrilitatem*. *Gratitudo* eſt retributio pro beneficijs vltra omne debitum. *Charitas naturalis* eſt quædam vniuerſaliſſima *pietas*, qua proximos egentes reſpicimus, vt verè ſunt fratres.

PARS

PARS IV.

DE FORTITVDINE.

CAPVT I.

De Fortitudine magis propria, et cardinali.

Fortitudo eſt virtus media inter duas vitioſas, & animales, paſſiones *Timores* ſcilicet, & *Audacias*, redditque hominem non quidem omninò non timentem, ſed ad terribilia *inſtupeſcibilem*. 1

Cardinalis eſt circa Bellum, & 2
alia terribilia, quæ poſſumus per ignauiam vitare. Ad alia terribilia ſunt aliæ Fortitudines, ſi non debiliores, certè ignobiliores; habet proindè totum genus Fortitu-

dinis Obiectum indelectabile, imò dolòriferum.

3 Maximè exercetur actus Fortitudinis in Duello, vel quaſi duello, quando liceat; in illicito autem licet actus ſit contra Prudentiam, ſi ſit cum alijs requiſitis omninò humanus acquiritur, quod eſt difficilius, licet non præſtantius in habitu Fortitudinis.

4 Se ipſum occidere in Æthnico poteſt eſſe actus aliqualis propriæ Fortitudinis, licet adæquatè Fortis ſit, qui eſt paratus omnia pati ab alijs vſque ad mortem tormentis, & diuturnitate ſæuiſſimam.

5 In hoc, & alijs caſibus apparet, quo pacto religio Catholica, & augeat motiua, & addat occaſiones Solidæ Fortitudinis. Cæterum licet adæquatè Fortis ſit, agere, & pati fortia, magis tamen elucet in *pati*, quàm in *agere*. Hoc debet intelligi de paſſione phyſica, quæ

ſit

ſit pleniſſimè voluntaria, & conſequenter maximè *actiua moraliter*. Talis Fortitudo paſſiua præcipuè enituit in SS. Martyribus, qui proindè fuerunt in omni rigore fortiſſimi.

CAPVT II.

De quinque Illegitimis Fortitudinibus, & alijs Potentialibus.

RESultant hæ omnes ex defec- 6
tu in materia, vel in motiuo, & ſunt potius deficientes, & illegitimæ, quàm omninò falſæ. Vtiles autem ſunt, imò & neceſſariæ tàm multitudini Militum, quàm Ciuium.

Prima dicitur *Ciuilis*, quæ pu- 7
gnat timore pœnæ, vel amore præmij. Secunda *Militaris* ex ſcientia, & robore militari pugnans.

Tertia *Animalis* pugnat ex æſtu alicuius Paſſionis. Quarta *Præſumens* oritur ex irrationali quadam Fiducia. Quinta *Cæca*, quæ audet ex periculi, & ipſius Terribilis ignorantia. 1. Eſt vilis,quia venalis. 2. eſt magis intellectu ſciens, & corpore potens, quàm animo robuſta. 3. eſt impetu belluina, non animo rationalis. 4. inaniter ſperat. Vltima neſcit quid audeat: deficiunt omnes vrgente terribili.

8 Militant ſub Fortitudine octo non tàm minores, quàm minùs propriæ, vel generales. Prima eſt *Fiducia*, quæ eſt ſpes quædam victoriæ non phyſicæ, ſed moralis, qualem, & maximam habuerunt Martyres; non eſt ergo hæc *fiducia* vana præſumptio ſuperandi hoſtem, ſed ſpes ſolida exercendi virtutem vſque ad mortem terribilem.

9 Secunda potentialis Fortitudo eſt

eſt *Audacia* ; non illa temeraria, ſed viuida quædam alacritas in aggrediendo terribilia ; hæc autē eſt flos fortitudinis Ductoribus valdè neceſſaria. Tertia *Æquanimitas*, ſiuè animi æqualitas in proſperis,& Aduerſis. Quarta *Patientia*, hoc eſt aduerſorum omnium inuicta, & indomita Tolerantia.

Quinta eſt *Conſtantia* contra 10
nouas, & inexpectatas difficultates, tàm in agendo, quàm in patiendo. Sexta *Perſeuerantia*, quæ reſpicit temporis diuturnitatem, à qua accedit maxima difficultas, ideoque *non qui incæperit, ſed qui perſeuerauerit, ſaluus erit*.

Munificentia, quæ eſt ſeptima eſt 11
quædam Fortitudo circa amorem pecuniæ in ordine ad magnos ſumptus: eſt propria Principum, & licet ſit excellens *Liberalitas*, meritò tamen eſt potius ſub *Fortitudine*, quam ſub *Iuſtitia*.

12 *Magnanimitas* eſt Virtutum culmen, & coronis atque heroizantium inſigne. Cognoſcit Magnanimus propriã dignitatem, honores meretur, nec ambit, aut timet inhonorationes; eſt in faſtigio virtutum humilis, iacere paratus non timidus; eſt ſiquidem Magnanimitas naturalis humilitas.

CAPVT III.

De Paſsionibus, Virtutum mixtione, et Denominatione.

13 VIrtutes partis animalis, quæ ſunt ſub *Fortitudine*, & *Temperantia* moderantur illis ſenſitiuis affectionibus, quæ Paſſiones appellantur. Harum ſpecies, vt etiam Virtutum, & Vitiorum pœnè innumeræ, paſſionum verò genera vndecim. Diuiduntur in duas claſ-

ſes iuxta duas partes Animæ animalis, quæ ſunt, *Concupiſcibilis*, & *Iraſcibilis*.

Primæ partis ſunt ſex paſſiones, 14
nempè *Amor* primus, & generaliſſimus motor omnium affectuum circa bona æque, & mala. *Odium* primum, & tranſcendens omnes tendentias in malum. *Concupiſcientia*, & *Fuga*, *Triſtitia*, & *Voluptas*. Primum binarium eſt circa bona, & mala præſcindendo ab illorum præſentia, vel abſentia; ſecundum eſt circa bona, & mala reſpectiuè, vt *abſentia*; tertium verò circa eadem, vt *præſentia*.

Partis ſecundæ nempè *Iraſcibilis* 15
prima *paſſio* tranſcendens, & ſine ſocia eſt *Ira*. Hanc ſequuntur *Spes*, & *Deſperatio*, *Audacia*, & Timor. Cum hæ omnes ſint bellicæ, & circa obiecta ardua primum binarium pugnat ad acquirenda bona, ſecundum ad repellenda mala.

16 Ex

16 Ex concurſu obiectorum ad extra, & affectionum ad intra in Anima partis non ſolum animalis, ſed etiam rationalis, fit vt *Virtutes*, & *Vitia* vix vnquam ſint *monaſtica*, ſed fœderata ſemper, & politica.

17 Et in *fortitudine* quidem implicat *ſolitudo* nam vltra *Tranſcendentalem Prudentiam*, requiritur motiuum rationale pugnandi, v. g. prò Liberis, prò Patria; prò Religione. Fortitudo ergo militat ſemper alteri Virtuti, vt Bellum Paci, & Ars medica ſanitati. Terribile enim eſt per ſe inamabile, & ineligibile in qualibet ratione *finis*.

18 Alia eſt *continuatio* Virtutum in anima ad vnum aliquem finem; alia eſt *vnio* earumdem in vno, & eodem actu: *In continuatione* denominatio habetur à *fine* vltimo, vel intermedio, ſic præparatur commeatus ab *Æconomia militari*. Hæc dirigitur à militari *Politica*,

& hæc à prima ratione imperandi. *Actus igitur imperati*, vt dicuntur, totaliter accepti denominantur *ab Actu imperante*, vt milites à Duce.

At verò quando concurrunt plura motiua ſimul in vnico actu, ſi aliquod motiuum præualeat ab illo abſolutè actus eſt denominandus; ſi verò ſe habeant æqualiter actus erit compoſitus, & *mixtus*. 19

Eſt autem triplex præualentia *transformationis*, *dignitatis*, & *virium*, ſiuè *exceſſus virtutis operatricis*. Solum motiuum Diuinæ *Charitatis* ex ſua ſupereminentia, quia omnia *poteſt*, reliqua motiua in ſe vnicè transformat, atque ita in Contritione ipſe dolor pœnitentialis fit *amor*, vt fiunt reliquæ omnes Virtutes. In *Charitate* ergo vt nulla remanet forma aliarum Virtutum, ſed ſola materia, & quaſi accidentalis ſpecies, ita nulla remanet aliena *Denominatio*. 20

21 Quan-

21 Quando duæ Virtutes exercent vires æquales in vno actu, debet denominari à magis digna,& finalizante. Sic ſi ad ieiunandum æque concurrant *Temperantia*, & *Religio* in obſequium Beatiſsimæ Virginis erit actus *Religionis* potius, quam *Temperantia*.

22 Quod ſi motiuum alicuius virtutis plus notabiliter virium exercet, illud, vt efficacius concurrit ad ſubſtantiam, ita debet dare denominationem etiamſi ſit inferius dignitate alijs motiuis. Ex hac ratione habentur actus proprij quidem licet non ſolitarij, & *Fortitudinis*, & aliarum Virtutum, quæ ſemper ſunt alijs ſubordinatæ, & ſeruientes. Actus igitur aggrediendi *Terribilia* ſi non ſunt ex *Charitate*, ſunt vt plurimum Fortitudinis, quia ex hac eſt maior difficultas, quam ex *paterno Amore* in Liberos, ex *Pietate* in Patriam, ex *Religione* in Deum.

PARS

PARS V.

DE TEMPERANTIA.

CAPVT I.

De Cardinalibus Temperantijs.

ET fortitudo, quæ eſt partis *Iraſcibilis*, eſt magis circa *Timores*, quam circa Audacias; ita *Temperantia*, quæ eſt partis *Concupiſcibilis* eſt magis circa *Delectationes*, quàm circa *Dolores* inter quos eſt media. Eius partes integrales ſunt *Verecundia* qua recedit à quacunq; inhoneſta Turpitudine, & *Honeſtas*, qua poſitiuè bonum temperatæ *delectationis* proſequitur. 1

Cardinalis Temperantia eſt contra concupiſcientias maximè anima- 2

males, *Guſtus* ſcilicet, & *Tactus*; temperat primum *Sobrietate* circa potum, & *Abſtinentia* circa cibum; ſecundum verò *Honeſtate* circa ſubſtantiam, & *Pudicicia* circa accidentia venerea; & ſolidam hanc ſimul, & ingenioſam, & pudiciſsimam diſtinctionem docuit Ethicus Ariſtoteles.

3 In *Intemperantijs*, quæ turpiores ſunt, ſunt magis *raræ*, quæ verò communiores ſunt magis *brutales*. *Intemperans* eſt longè deterior cæteris paribus *Timido*; hic enim ex timore doloris, ille ex amore voluptatis peccat.

4 Quidquid ſit de *Poligamia* permittente vni viro plures vxores ſimul, puto *Matrimonij perpetuitatem* eſſe de iure politico Naturæ, & conſequenter, & *Diuortium* licere ex ſola Diuina diſpenſatione, & à fortiori eſſe naturaliter illicitam *ſimplicem fornicationem*.

CA-

CAPVT II.

De Continentia, & Verecundia.

HÆ duæ ſunt Semiuirtutes, 5
& imperfectæ *Temperantiæ*.
Continentia eſt frænum rationis
contra nondum domitam Intem-
perantiam. Eſt ergo virtus in ſola
parte rationali, reſidente ad huc
vitioſo habitù in parte concupiſci-
bili, ideoq; non eſt virtus perfecta.

Incontinentia, in hoc differt ab 6
Intemperantia, quod Incontinens
peccat vi paſſionis *rationem con-
temnentis*; Intemperans verò ex
vi mali habitus *rationem corrum-
pentis*; ideò *Intemperans* deterior
eſt *Incontinente*, ſicut eſt melior
Temperans, quam *Continens*.

Ex vehementia ſenſationum, 7
ex naturæ debilitate ex habituum
na-

naturalium limitatione, ex maiori generalitate habituum ſupernaturalium admitto, vt neceſſarias, vel plures *Continentias*, vel probabilius aliquam generalem contra nunquam bene domitas paſſiones, & ſemper viuas concupiſcientias.

8 *Verecundia* hæc non horret vitij turpitudinem, vt prima, quæ eſt pars integralis *Temperantiæ*; ſed ſolum, non ſine aliquo turpi affectu, fugit externi actus turpitudinem ex metu publicæ confuſionis. Sicut hanc habere eſt aliqualis, & ſimul vtiliſſima perfectio, ita illam perdidiſſe, eſt præcipuè in Adoleſcentibus, & mulieribus, proſtituti pudoris ſignum, & regnantis libidinis baratrum. Etiam ſub hoc nomine, & conceptu plures poſſunt conſiderari ſpecies.

CA-

CAPVT III.

De minoribus, ſiuè Potentialibus Temperantijs.

CLementia eſt Temperantia in vindicta, quam vindictam omninò non excludit, vt facit Chriſtiana manſuetudo ad Chriſti imitationem. Sub Clementia ſunt tres ſpecies, nempè Clementia particularis, quæ eſt vt ſuperioris circa pœnam, ſiuè circa vindictam politicam; *Manſuetudo*, quæ eſt circa Monaſticam; *Compaſſio*, ſiuè *Miſericordia*, quæ eſt circa quodcumq; malum proximi ad nos non pertinentis, ſunt autem patentiſſimè, & valdè notabiliter diuerſæ. 9

Humilitas eſt Temperantia circa honores, & differt à *Magnanimitate* tripliciter. 1. Ratione ſubiecti; nam *Magnanimitas* eſt quaſi 10

ſi

ſi Heroum, *Humilitas* omnium, 2. ratione termini; quia illa eſt circa Honores eximios, iſta circa communes. 3. Ratione modi; nam *Magnanimitas* Heroicè ſe habet, at *Humilitas* ordinario modo eſt contra ſuperbiam.

11 *Eutropelia* eſt Temperantia in iocis media inter *Seueritatem*, & *Scurrilitatem*, & differt ab *Affabilitate*, quæ non reſpicit conſuetudinem iocoſam, ſed negotioſam: in negotio autem non eſt vitium ſeueritas, vt eſt in conuiuio, ludo &c.

12 *Parcitas*, ſiuè *Sufficientia*: *Simplicitas*, ſiuè *Moderatio* ſunt circa res domeſticas; prima circa ſubſtantiam, nè plura, aut maiora, quam deceat habeamus. v. g. famulos, ſupellectilem, equos: ſecunda eſt circa modum, nè ſcilicet quæramus nimis rara, pretioſa, & exquiſita.

13 *Modeſtia* eſt triplex, Prima *ordi-*

dinans actiones, nè fiant ordine præpoſtero, eſt ergo agendorum quaſi *Simetria*. Secunda eſt actionum decor, & flos, & hæc magis propriè dicitur *Modeſtia*. Tertia eſt componens faciem, & ſermonem, & hæc maximè decet Adoleſcentes, & Puellas: eſt contra *Imprudentiam*, & diuerſa ab *Eutropelia*, immo indifferens, vt ſit cum ipſa, vel cum illi oppoſita *Seueritate*; Hæc autem communiter dicitur *Modeſtia*: ſunt ergo Modeſtia *oris*, Modeſtia *actionum*, Modeſtia *Ordinis*.

PARS

PARS VI.

CAPVT VNICVM.

De Sapientia Morali.

1 SICVT abſolutiſſima perfectio Prudentiæ, Scientiæ, & Virtutum conſtituit *Heroem*, adæquatam ſcilicet Idæam vniuerſæ ſpeculatricis, & operatricis *Sapientiæ*, ita eminens, ideoq; *rara* excellentia in genere aliquo ſingulari, non ſolum ſuperioris, ſed etiam inferioris facultatis denominat ſecundum quid Sapientem v.g. in Metaphyſica, in Phyſica, in Geometria, in Architectura.

2 Huiuſmodi Sapientes minores præeminere debent in illa parte, quæ ſit *caput*, & *Cardinalis* illius ordinis. v.g. *Scholaſticus Theologus,*

gus,

gus in Scientia circa eſſentiam, & attributa Diuina; in abſtractis entis proprietatibus *Metaphyſicus*; *Arithmeticus* in Algebra; in operum ſcimetria *Architectus*; *Moralis* in principijs Politicæ, & altioris honeſtatis. Quod autem in ſingulis ſubtilius, & vniuerſalius eſt, illud dici poteſt illius facultatis *Metaphyſica*.

Ex hac *generalitate* ſciendi Sapiens facilè definit quaſi ſcholaſticè, quia *attendit ad pauciora*, & ordinat quaſi *Politicè*, quia ex ſublimi proſpicit omnia inferiora ſui ordinis. 3

Statuere ergo de *fine monaſtico*, & multò magis de ſperabili *Politica fælicitate*, non eſt nec *Ethicæ*, nec *Politicæ*, ſed *moralis ſapientiæ*: hoc autem eſt principium ad definiendum de politica fælicitate. Quod ſit *Sperabile bonum morale*, & ex Honeſtate *facili*, & *vtili* 4

C Rei-

Reipublicæ, quæ eſt valdè diuerſa à monaſticis.

5 Sunt *Iuris Sapientialis* actuum connexiones, mixtiones, & denominatrices præeminentiæ, Ratio Imperij, ſiuè prima politica pacis amans, & belli potens, ac proindè minorũ politicarũ parẽs, & arbitra.

6 Ad eandẽ ſuperiorẽ ſapientiam pertinet in morali ratio illa practicæ ſingularis. Hæc ex ſublimitate ſciendi profundius attingit *actiones*, vniuerſaliſſimè ſimul, & maximè ſingularizando diſtinguens, & intendens prædicata omnia etiam circumſtantialia *moralitatis*: ex hac penitiſſima ſcientia deducitur grauitas Angelici peccati, incapacis proindè ſalutaris Pœnitentiæ; ex hoc infinita Diuinarum actionum *moralitas*, & *Honeſtas*. Hanc vnicam artem exercet Diuinitas, vt ſit *Recti*, & *Fælicitatis* fons ſibi, & nobis Idæa.

Quid-

Quidquid igitur decet *ſcire* 7
Deum, *vt agat* practicum eſt, quidquid huic rationaliſſimæ actioni eſt extraneum morale non eſt, ſed alterius ſcientiæ ſpeculatricis. Ex hoc deducitur prima ratio, & diſtinguendi, & circumſcribendi terminos facultatum practicarum.
Sapiens ergo Moralis ponit vt 8
fundamentum ſolidam, impolitam licet, & inadæquatam Ariſtoteſis Doctrinam; Hanc ex Scholaſticis præcipuè Doctoris Angelici ex reuelatis, & ex ſapientialibus Sacræ Scripturæ libris implet; illuſtrat, eleuat; eſt ſiquidem ineptum æquè, & irrationale humanam Rempublicam à Deo, & ad æternitatem factam tempore metiri, & mutabilibus circumſcribere, perindè ac ſi ex ſemibrutalibus infantis actionibus infinitum hominis ingenium definias.
Sapiens igitur, ſed paruulus, 9

quilibet ille ſit, & quantus, ſi hoc ſaltem ſciat, quod puer eſt, humana parcius iactabit, & ſublimiora reuerebitur, & verebitur, nec Talpa ex tripode iudicabit de luce, nec ſcarabeus in ſterquilinio inſultabit Deo.

10 Principium tandem primum, & vltimum ex fœderatis metaphyſicis, & ſapientijs, Theologica, Philoſophica, & Morali ſit. Creatura per eſſentiam, pænè infinitè defectuoſa relatè ad Deum, ſi ſit rationalis, eſt etiam libera, & vt talis libera eſt ad maximum malum culpæ, quam ſequitur æterna miſeria priuatiua, & poſitiua. Eadem creatura in via eſt conſtituta ſub obſcura fide, cumulatiſſimè quidem redempta à perditione; non à pœna culpæ originalis; nempè ad Dei gloriam, non ſuam.

11 Hæc Creatura conſtituit Rempublicam, in qua ſapiens moralis,

fortis

fortis in fide, credit omnia bona eſſe, illa etiam mala, quæ nolens natura patitur, hæc ſperat bona omnia futura in æternitate, quæ inexperta in præſenti ſæculo, nec ſperat, nec curat: Hæc *ſuſtinet*, & *præſtat* omnia non viſura hic fructum ſuæ patientiæ, & beneficentiæ. Ex hoc Moralis Sapiens fiet ad contingentia omnia, etiam maxima ſcandala, vſque ad carnalis ſapientiæ ſcandalum, inſtupiſcibilis. Hic eſt enim Moralis Sapientiæ finis non deſperandus. Ex hac *inſtupeſcibilitate* prò ludo habebit ſapientiam ſæpè ignotam, ſæpius infelicem prudentiã, & Iuſtitiam ſæpiſſimè iacentem. Sciet ſemper oppugnandam Religionem; ſuperſtitionem, & impietatem victuras prælijs longè pluribus, nunquam bello. Intelliget procul dubio, Fortunam, & Infortunia Diuinitatis *aleas* eſſe, qua-

rum

rum ludum ſcire impoſſibile ſit; diuinare temerarium; ſtabilem ſperare, ridiculum. Si ergo ſapiens in ſcientijs hoc tandem fateri debet, quod *nihil ſciat*, Sapiens in Moralibus ſcire debet, quod *nihil ſit*, ſit ergo corollarium, & moralis totius Clauſula.

12 Scholaſticus, Theologus ſit, vel Philoſophus, ſi de ſcientia ſua ſuperbiat *Rana* eſt inflata, & ridiculè contendens tumeſcere, in *Bouem*; ſi ſit Moralis, eſt Lucifer rebellis ſtultè anhelans, creſcere in Chriſtum.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE